

Joviales Lunas in Jove sub majore angulo quantitatis videri, quam nos Solem aut Lunam cernimus.

Et quanquam hæc mensuratio aliquibus incerta videatur, tamen ex supposita quantitate Jovis & distantia ejus à Terra, harum quoque Lunarum distantia & magnitudines supponi possunt.

Quid denique sentiendum sit, de

5 aliis Jovis Comitibus, quos præter quatuor dictos, *Pater Antonius Maria de Reita*, & *Franciscus Fontana* se vidisse tradunt; videndum est apud *Ricciolum in Almagesto fol. 489*. Ubi etiam ait: *Asperum esse Jovem circa margines, montibus scil. ac tumoribus evidentissimè extantibus apparere*. Videatur *Itinerarium Ecstaticum Kircheri pag. 267*.

## CAPUT XIX.

### De Saturno: & Planetis in genere.

**U**Ltimus denique, & remotissimus à Sole, Planeta est Saturnus, unde in amplissima sphaera movetur, proximeque intra annos 30 (seu intra annos Ægyptios 29, diebus circiter 174) suum circuitum absolvit, & ad locum redit, quem prius tenuit; sed non revertitur ad eandem fixam, nisi annis 29, diebus prope 184.

*De Saturni facie.*

Uti autem hoc seculo, usus Telescopiorum, admiranda circa hæc Mundana corpora detexit phænomena, quæ veterum Philosophorum scholas omninò latuisse videntur; Ita quoque Saturnum unam vel duas collaterales habere focias, multis phænomenis colligunt: Et insuper Annum quendam lucentem, circa corpus habere scribunt. Quia verò non in omnibus concordant, post *Reitam fol. 277*, *Fontanam pag. 126*, *Borellum pag. 53*, *Lipstorpium pag. 25*, *Ricciolum fol. 487*, possunt conferri *Johannis Hevelii* dissertatio de nativa Saturni facie ejusque variis phasibus certa periodo redeuntibus; item *Christianus Hugenius* qui anno 1659 peculiarem librum de Systemate Saturnino conscripsit.

In genere de Planetis eorumque Sociis notandum, beneficio optimorum Tuborum apparere: Eos esse 1. Corpora per se opaca non ubique luminosa, sed eâ tantum parte splendere quam Soli habent obversam; atque sic omne lumen à Sole mutuari, radiosque à Sole acceptos versus oculos nostros reflectere. 2. Esse quidem rotunda, sed multis nævis aut tumoribus adpersa, sicut Luna seu Terra nostra, quæ non tornatæ sunt rotunditatis ad normam Geometricam, verum ad sensum. 3. Hos Planetas æque ac Tellurem ex materiâ durâ, solidâ & opacâ Solis radios accipiente: seu ex quatuor, (*sic dictis*) Elementis esse compactos, quod etiam *Schyrlæus*, *Copernici* adversarius asserit in *Oculo Enoch & Eliæ lib. 4. cap. 1. fol. 175*. 4. Quemlibet Planetam suâ atmosphærâ & nubibus involutum; Ac, 5. suas gyrationes diurnas circa proprios axes conficere, uti hoc confirmat dictus *Fontana pag. 108*. & *Schyrlæus lib. 4. cap. 2. fol. 203*. Sequitur *Iconismissa IV.* *Typus emendati & perfectioris Systematis Mundi.*

## CAPUT XX.

### De Distantiis Astrorum in genere.

*Magnitudines ac Distantia corporum Mundano sunt incredibiles.*

**H**Oc loco generaliter sciendum: Quod distantia Solis ac Lunæ, ut & Planetarum, etiamsi quoad stellarum Fixarum distantias non comparandæ, tamen adeo immensæ sint, ut Terra no-

stra ad extremi Planetæ Saturni sphaeram comparata, haud instar pisi sit æstimanda; Sicut hoc suo loco, *lib. scil. 5, cap. 2.* patebit, & aliàs omnibus Mathematicarum scientiarum peritis, satis abundè constat. Un-